

fuit, viginti clarissimaru*m* familiaru*m* imagines, velut indiciu*m* splendoris & vetustatis familiae in fanere habuisse. Inter quos Manlios & Quintios, Cassiumque & Brutum. Nonnunquam, ut ampliore efferrentur funere, plures defuncto strauere lectos, qui instrati in pompa funeris anteibant: sicut de Sylla, cui sex milia, & Marcello, cui sexcentos praelatos legimus. Tum si qui ab eo serui manumissi, & libertate donati fuerant, illi praecipue, qui fide insignes a domino cogniti forent, herillem interitum miserantes, & pleni lacrymarum elatum corpus praecedebant pileati aut alba lana capitibus velatis: qui quanto plures erant, tanto plus nominis, laudisque dedere, quod decedens dominus totam familiam tantis muneribus cumulasset, ac libertatis precio affecisset. Nonnunquam illos, qui rasis capitibus triumphantis currum fuerant prosequuti, eiusdem defuncti pileatos in funeris pompa corpus praecessisse inuenimus, ut Q. Terentium Culleonem, quem Scipio Africanus servitio exemerat: post sequente proximorum affinium & amicorum turba, lugentium habitu, capillo demisso, veste pulla aut cœrulea, ut Cato significat. Cum enim adolescentis funus facerent, cœruleum frequentes inducebant. Apud exterorū verò phœbus color sumebatur in luctu. Namque Antiochus, auditō fratri obitu, purpura deposita, phœnum induit, qui inter album & nigrum coldrem fuisse traditur. Nunnunquam senatu*vniuerso* & magistratibus cum vexillis, interdum equitum turmis, si quando Regum aut Imperatorum funus efferrent, comitantibus. Funeris enim hæc lex erat, ut præcedente pompa funebri, viui sequantur, tanquam haud multo post morituri. Interim leuulo plerique flores & corollas iiiiicere, nonnulli vnguenta & odores, alijs dona cumulare, idque noctu & obscura luce, idē faces ardentes adhibebant. Nam die funus efferre vetusto more non licuit: quod Demetrius Rex cauisset edictu*m*, ut ante lucem vel post crepusculum efferrent corpora, die verò neutiquam. Sæpe tamen Imperatoris aut Duci*s*, qui occubuerunt funus milites, quantum poterant militaribus studiis celebrarunt. Ea pompa fuit, ut armatae instructaeque legiones, in turmas & centurias diuisæ, cum vexillis militaris inuersis aut abiectis militiae insignibus, defunctum comitentur, phaleraque equis detrahant, ensium mucrones & lancearum cuspides humili deiectas ferant, & rogo mullerent. Id quod apud Græcos etiam seruari meminimus. Rogo igitur exstructo & pyram cupresso circumdata propter grauem cremati corporis nidorem, ne tetro odore abigerentur proximi adstantes, ac desuper defuncto corpore locato, illius oculos, antequam cremaretur, patefacere & cœlo ostendere mos erat, aliis etiam vanis vti superstitionibus. Præfica interim assistens lamentabili carmine populum rogo circumdata ad complorationem & lacrymas prouocabat, populo etiam largis fletibus & pari comploratione respondentē. In quo luctu quædam ad miserationem canebantur carmina & versus ad tibiam cum laudimus & lacrymis, pietatem humanitatēmque & defuncti interitum miserantes, dum per

funerum ministros, qui pollinctores dicti sunt, corpus igne supposito cremaretur. Eam verò pyram pro dignitate & honoribus, quibus in vita functus erat, & prout amplissimos magistratus & imperia gesserat, modo maiorem, modo minorem extruxere. Fuitque lege 12. Tabularum cautum, ne ex lignis politis extruderetur. Solebant autem arida ligna papyrumque, ut facilius accenderetur, adiicere: nonnunquam odoris gratia & pompa augendæ, crocum & vinum affatim apponebant. Germanis struem rogi nec veste nec odoribus cumulare licebant, sed sua cuique arma & equus adiiciebatur rogo. Corpora verò clarissimorum virorum, non nisi ex ledissimis lignis certi generis, concremari sine ullo solemni apparatu permittebantur. Dūmque igne accenso corpus ardebat, pro dignitate, proque opibus, quibus quisque pollebat, ita amici & affines, qui coniunctissimi aderant, quæ chara habebant & præcipui cultus, cum gemitu & quæstu miserabili, in luctu & grauissimi doloris signum, ignibus iniiciebant. Sic multi vestes triumphales, enses, balteos, militaria nonnulli arma: mulieres verò, ne studio vincerentur, ornamenta sua, armillas, zonas, mundumque muliebrem, vittasque virginalis comæ, retortos cincinnos & torques, ac bullas, prætextasque librorum flammæ indidere: thuræque, vnguentæ & odores omnium generum, quos lancibus ferebant. Quare multos copia odorum ad pyram examinatos, & præter infinita odora menta, in funere Syluae statuam iustæ magnitudinis ex odoribus confectam, absumentam comperimus. Quæque etiam defuncto clarissima & cordi fuisse arbitrabantur in vita, quarumcumque rerum mirum & efficax studium fuerat, ut scuta, gladios & arma, dilectos equos, canes, lusciniæ, atque defuncto charas iugulabant ad rogam, eique imponebant. Vnde exemplis palam factum nouimus, accensis multis dominorum rogis, doloris impatientes vel violentas sibi manus intulisse, aut igni pariter absumentos esse. Quod etiam exemplum (quamquam dictu admirabile,) aliquos canes secutos esse referrunt. Velut de Hieronis & Lysimachi Regum canibus memorie proditum est. Græcorum quoque & Æthiopum præcipius mos erat, ad rogam dissecare comas, corporaque & igni imponere, atque cum his equos, boues, pecora, canes, vinum quoque & oleum fundere. Utque rege, morte sublato, familiares & qui cum eo coniunctissime vixerant, charitate principis vim vitæ sibi ad rogam afferrent, vnaque concrementur. Indorum perulgata historia est, ut quæ viro defuncto charissima coniux in vita fuerat, igne eodem absumentur, vnaque concremetur. Thracibus & Gétis idem mos, sed ornata cultu ad tumulum maestabatur, ut eodem conderetur. Gallis verò olim servi clientesque viui in eadem pyra absumentur. Scythæ Gerri cum Regis cadavere, aromatibus condito, præcipiam concubinarum, prægustatorem, coquum, agasonem ministrum, vna tumulabant. Quinquaginta etiam ex ministris equosque ad rogam præfocabant. Græci Imperatore aut Duce mortuo, funus apparatu regio & solemnii